

32

D. D.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
QUÆSTIONEM,
UTRUM PER
OECONOMIAM,
AN VERO PER
BELLUM
SALUS REIP. MAGIS PROMOVEATUR,
SOLVENS,

QUAM
Consensu Ampl. Ord. Phil. in Reg. ad Auram Academiæ,
PRÆSIDE

CELEBERRIMO VIRO
PETRO KALM,

Oeconom. PROFESS. Reg. & Ord. nec non

Reg. Acad. Scient. Svec. MEMBRO,

Publicæ bonorum censuræ modeste submittit

STIPENDIARIUS REGIUS

NICOLAUS CRUSELL,

SATACUNDENSIS.

Die XX. Decembr. Anni MDCCLV. in Aud. Maj.
H. A. M. S. 1755

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL,

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo,
**D^N. MAG. JOHANNI
KRAFTMAN,**

*Professori Mathematicum ad Academiam Aboensem
Extraordinario; ut antehac Informatori Optimo,
ita omni pietatis zelo ad cineres usque colendo,
suspiciendo.*

L*Atebant. Intra. Praecordia. Diu. Gratus. Animus. Atq;
Veneratio. Ob. Favorem. Summum. Atque. Innu-
mera. Jam. Ab. Eo. Tempore. Quo. Mihi. Contigit. Fe-
licitas. Te. Vir. Ampl. Atque. Celeb. Informatorem. Ve-
nerari. Optimum. Praestita. Beneficia. Data. Vero. Ho-
die. Occasione. In. Lucem. Prodire. Gestunt. Accipe.
Igitur. Serena. Fronte. Primitias. hasce. Immaturas.
Studiorum. Meorum. Quae. Ad. Te. Aditum. Moliuntur.
Splendorem. A. Nomine. Tuo. Consequi. Et. Venerabun-
dam. Gratissimamque. Mentem. Quae. Penes. Te. Plu-
rimum. Valet. Contestari. Cupientes. Servet. Te. Sum-
mus. Caeli. Monarcha. In. Nestoreos. Usque. Annos. So-
spitem. Atque. Incolumem. In. Orbis. Litterariae. Emo-
lumentum. Familiae. Tuae. Gaudium. Clientumque. Tuo-
rum. Fulcrum. Permanebo. Quoad. Vixero.*

Amplissimi atque Celeberrimi NOMINIS TUI

Cultor humillimus,
NICOLAUS CRUSELL.



I. N. D.

§. I.



Multitudo hominum, cum post creationem sensim augebatur, in Civitates confluere, conjunctisque viribus felicitatem mutuam promovere cogebantur. Prima itaque cura in novo hoc statu constitutis sine dubio fuit, viarum, quas ingrederentur felicitatem formaturi, fundamentorumque, quibus eandem superstruerent.

Prout vero nostro ævo mutationem status facienti, omnia, quæ ad felicitatem ipsius pertinent, non semper sunt nuda atque aperta: ita etiam homines antiquis temporibus, quando Imperanti potestatem in Civitate relinquebant, in felicitatis mediis eligendis variantes fuere. Studium tamen veræ Oeconomix practicum inter modos tutiores ad opes & felicitatem perveniendi merito

A

nume-

numerandum esse facile omnes invenerunt; hinc non mirandum, si a promotoribus felicitatis publicæ, praxis hujus semper plurimi facta sit. Negari tamen non potest, extitisse & antiquioribus jam temporibus & nostro ævo, qui, malitia quali conata pravaque cupiditate gloriæ, vel defectum studii hujus pretiosissimi penes se animadvertentes, vel maxime innocuum hocce vitæ genus, tardum & minus cito lucrum reddens judicantes, armis bona aliena opesque invadere cupiverunt & cupiunt: hoc vitæ genus antiqui nostri Gothi secuti fuere: hoc etiam Respublicæ piraticæ Africanæ hodie utuntur.

Sunt qui adhuc perplurima dari existimant felicitatis fundamenta, quorum mentionem facit Cl. SALANDER: (*) facultatum vero mearum conditio non permittit hæc varia variorum fundamenta sub incudem revocare, tenues tamen ingenii vires, quæstione, utrum Oeconomia, an vero Bello, salus Reipublicæ magis promoveatur, periclitari conor; mitem igitur ut feras censuram opellæ huic, est, quod magnopere opto atque rogo.

§ II.

PAUCIS ostensuris, utrum per Oeconomiam, an vero per Bella salus ac felicitas reipublicæ magis promoveantur, tractationis injungit ratio, ut, quid Oeconomia, quid salus Reipublicæ, quid denique sit Bellum, exponamus.

Per

(*) Salus Patriæ, Capit. II, §. 10.

Per *Oeconomiam* intelligimus scientiam opes acquirendi, iisque recte utendi. *Salus Reipublicæ* nobis est ille status, in quo omnes Reipublicæ incolæ bene aut vivunt, aut vivere possunt. Varia consuetudina, quæ hinc elici possunt, brevitatis causa prætereo: e. g. ubi contra legem naturæ vivitur, ibi male vivitur. Dari gradus salutis publicæ; nam tanto major salus censenda, ubi incolæ melius vivunt: ubi major copia facultatum & opum, ibi melius etiam vivitur: ubi opes atque illa, quæ apud exteros producuntur, incolis reipublicæ arrident, proventus vero propriæ telluris minimi putantur, male vivitur. *Bellum* cum Gentzenio dicimus esse statum Rerumpublicarum aut regnorum vim mutuo inferentium atque propulsantium, ut jura sua defendant vel vindicent, atque sic securitatem & pacem publicam stabiliant.

Regnum, quod sibi de copia incolarum pecuniisque gratulari potest, dignitate non potest non præ aliis regnis elucere: quod cum ita sit, perspicendum nobis erit, an per *Oeconomiam* respublica ad hanc faciem pervenire possit.

Utilitas atque præstantia hujus scientiæ omnibus tam est perspecta, ut nulla demonstratione egeat; *Oeconomiam* enim nominasse, idem est, ac utilitatem ejus demonstrasse; nam auxilio hujus carere potest mortalium nullus. Ne tamen ab ordine recepto recedam, lubet nonnulla, hanc rem illustrantia adducere. Benedictionem Divi-

nam hic ante omnia implorandam esse, non opus est, ut moneam; nam sine ope Summi Numinis, nec in hac, nec in aliis scientiis aut conatibus, aliquid efficere valemus.

Civitatem atque gentem Oeconomia divitem, potentem omniumque rerum abundantem, reddere potest. Hujus prudenti administratione, gentes, quibus natura fere in omnibus novercam se præbuit, opulentissimæ evasere; regiones enim latitudine aut vastitate earum non metimur, sed multitudine incolarum, abundantia facultatum, prudentiaque in iis rite utendis. Neglectu hujus regiones donorum naturæ ditissimas, incolas habere pauperrimos, non raro videmus. Ubi hæc in pretio est, ibi Musæ semper domicilium eligere solent, verum hac fugata, etiam illæ evanescent. Ope Oeconomix deserta in agros fertiles, paludes in prata viridantia, sylvæ horridæ in lucos amœnissimos, loca insalubria in dulcissimas habitations vertuntur: hæc herbas utiliores, per totum fere terrarum orbem dispersas, colligit, alii climati ac terræ assuefacit, multis multum utilitatis sic præbituras; ut sexcenta alia scientiæ hujus comoda silentio præteream. Industria Germania, jam incolarum urbium & opum instructissima ac maxime abundans, Europæ fere delicia, vocari potest: sed quid erat Taciti ævo? audiamus ipsum in libello suo de situ, moribus & populis Germaniæ, Cap. V. loquentem:

Terra etsi aliquanto specie differt, in universum

sum tamen, aut sylvis horrida, aut paludibus fœda;
 humidior quam Galliam, ventosior qua Noricum &
 Pannoniam aspicit: satis ferax: frugiferarum arbo-
 rum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque im-
 procera, nec armentis quidem suis honor aut gloria
 frontis. - - - Argentum & aurum propitii an
 irati Dii negaverint, dubito, nec tamen adfirmave-
 rim nullam Germania venam argentum aurumve gi-
 gnere; quis enim scrutatus est? & Cap. II. Germa-
 niam vocat informem terris, asperam cælo, tristem
 cultu aspectuque. Tantas & tam salubres mutatio-
 nes Oeconomia producere valet. Contra Terræ
 promissæ seu Canaan, quæ olim lacte ac melle a-
 bundabat, frugumque & omnium fere rerum ne-
 cessariarum erat fertilissima, incolæ hodierni ob
 neglectam vel intermissam praxin Oeconomix,
 pauperrimi sunt. Nec Hispani, recentioribus tem-
 poribus sinistro usu Oeconomix, felicissimi fuere:
 audiamus Davenant de hac re sic verba facien-
 tem: Förstånd / wettenskap, konst / medel och oförträs-
 ten slit / at förkofra ens förmoner i land / belägen-
 het / Handel / Handtwärdet / och annat sligt / förtjena
 sannerligen långt mer at kallas en Nations rikedom
 mar / än Guld och Silfwer; Där af Spanien är en
 fullkomlig Spegel / hwars undersåtare äro usle och
 fattige / och Regeringen oförmögen med alt des Guld
 och Silfwer af Indierne - - - hos Inbyggarena
 inflöt Guld och Silfwer uti en sådan öfverflöd i
 Konung Philip den andras tid / at all förtröstan där
 uppå sattes: De lade fördensfull å slido alt arbete /

och flerswiltigt försunnade Manufacturer; § följehvaraf Handelen föll til dem / som försedde dessa med allehanda nödtorster / så at gemene hopen / som är flerswa magen af den Politiske kroppen / blef förswad / och kunde intet uträtta hwad honom åliggande (*).

§. III.

ET ut hujus rei magis convincamur, non e re alienum esse speraverim, si, quantum utilitatis quæque Oeconomix pars per se, pluribus adtulerat societatibus: quantum divitiarum & consequenter dignitatis, cujusunque partis Oeconomix debita cultura, plerisque addidit regnis, perenderim.

Agricultura prima & antiquissima Oeconomix pars; cum ad eam referant nonnulla alia, quæ, tam ad terram, quam res maritimas spectant, nostram imprimis meretur attentionem ipsa *res rustica* stricte sic dicta.

Omnes, qui nomine hominis insigniuntur, victu, ad vitam sustentandam indigere, neminem in dubium vocare arbitror: nisi provida imperferutabilis adesset ipsius Dei cura: præcipuum quoque alimentum hominis ex agricultura sumi, nemini ignotum esse potest; & si dentur quædam nationes: e. g. Lappones, Grænlandi &c., quæ sine pane vivere possunt, tamen nutrimentum hocce ipsis displicere non potuerit, si hoc conse-

(*) NORDENCRANTS arc. Oecon. Tom. I. p. 53.

qui possent: naturæ vero eorum, certo alio alimenti genere assivefactæ, hoc concedendum; manet tamen veritas invicta, quod agricultura præcipuum hominis victum præbeat. Terra hæc maledicta non amplius atque olim *Eden*, quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria, sponte absque labore nostro, progenerat: ad nos vero jam pertinent verba, quæ extant in Gen. Cap. III: v. 19.

בֹּזַעַת אֶפְרַיִם תִּחְבֵּל לֶחֶם.

Variis aliis rebus, etiam pretiosissimis, uti gemmis, auro, argento, pecunia, vestibus plus vel minus splendidis &c. mortales sæpe carere possunt, quippe quæ valorem intrinsecum, seu talem, ut absolute necessaria sint, in se non habent, sed tantummodo eum, quem homines ipsis imposuerunt: ast alimenta valorem suum semper habent atque habebunt; his enim, salva vita, carere potest nemo.

Gentem igitur hanc partem Oeconomix utilissimam, vel contemnentem, vel minus feliciter excolentem, ubi excoli potest, quotannis magnam jacturam opum & facultatum facere, sensimque ad incitas redigi, nemo non facile videt; quæ enim proprium solum non procreat, ab exteris singulis annis, sæpe magno pretio, petenda sunt; nam venter non habet aures, ac contra famem nulla contradictio est.

Felix hinc est respublica, cui concessit natura terram aptam colendi agros, felicior, quæ hoc donum summi Numinis incultum non esse sinit.

De-

Demonstrata sic necessitate agriculturæ, utilitas quoque ejus inde haud obscure sequitur: testimonii tamen loco Angliam nobis sistere possumus, quæ non tantum per hanc Oeconomiam partem proprios alit incolas, verum etiam frumenti exportationibus maximas sibi acquirit divitias. Hæc ante trecentos circiter annos 2. aut 3. circiter millionibus sic dictis incolarum constans, illis alimentum sufficiens præbere non valuit, sed fruges aliunde importandæ erant: jam agriculturæ honore debito dato, cum regnum hoc 8. aut 9. milliones incolarum numerat, non modo frumenta tantæ multitudini necessaria, abunde subministrat, verum etiam quotannis ad externos plures naves frumento onustas emittit.

Verum respublicæ, quibus natura hanc prærogativam denegavit, non intermittunt reliquas partes exercere Oeconomiam: Sic videmus Societates nonnullas, inter sylvas, montes & infructuosas paludes viventes, necessario tamen hoc alimenti genere plane non destitui: & ut alias silentio præteream, Batavia nobis exemplum hujus præbet, quæ in profundo quasi maris sita, ipsa octavæ vix parti civium suorum frumentum dare potest, tamen ope commercii solius abunde eos alit.

Praticulturam & rem Pecuariam quis non videt multum prodesse patriæ: in quantum egemus victu etiam egemus amictu, præcipue in frigidis hisce borealibus mundi partibus: hæc ambæ ea nobis præstant. Taceo utilitatem, quam ex jumen-

men-

mentis in agricultura itineribus faciendis atque variis oneribus portandis & trahendis, habemus: quid, quod villa haud magni aestimatur, cui pratorum pecudumque copia non est adnexa. Quantum utilitatis divitiarumque regna per plurima pratorum reique pecuariæ debita cultura sibi vindicarunt, vel me tacente, cuique non potest non esse notum; pratorum enim debita cultura magna multitudo animalium domesticorum ali potest: hæc herbis sibi gratissimis pasta, carnem pingvissimam & sapidissimam, lac dulcissimum, butyrum laudatissimum, caseos optimæ notæ, ut coria præstantissima, variaque alia taceam, præbent. Oves, animalia illa utilissima, Angliæ plus lucri & utilitatis præbere, quam ditissimas Hispanorum auri argentique fodinas suis possessoribus, neminem latet.

Horticultura, prout haud inter minimas numerari potest divitias, suo neque destituitur usu; regioni enim hæc ornamentum adfert & utilitatem. Regio hortis abundans Paradisi fere faciem induit. Mensis, tam magnatum, quam infimæ sortis hominum, per majorem partem anni plurima eduliorum genera horti largiuntur. Exteris dimidiam partem obsoniorum horti illorum præbent. Annonæ sævitia, ubi frumenta in agris ob tempestates minus faventes spem agricolæ fallunt, ex hortis bene cultis magnum levamen haberi potest; varia enim genera herbarum hortensium dantur, quæ, vel cælo diu pluvio felicissime crescunt, vel a frigore mensibus æstivis interdum existenti minime læduntur. Fabricis

B

&

& rebus manuariis ex Horticultura etiam magnum lucrum adfluit ; nam multæ herbæ tinctoriæ , aliæve fabricis utiles , in hortis coli possunt , per quod multum pecuniarum in patria remanet , ad exteros alias ad illas emendas exportandum. Gallia ab initio prioris seculi ad annum 1672 pro herbis tinctoriis exteris 40 milliones floren : gall : solvebat. Zelandis pro Rubia tinctoria sola Galli singulis annis 500000. floren : gall : numerarunt. Patriæ nostræ sub finem seculi proxime præterlapsi herbæ tinctoriæ intra spatium trium annorum 126771. thaler imperiales subriperunt : Adhuc tempore nostro pro his quotannis 1. ½ ton : aur : ad extraneos exportamus. Multæ tamen harum in hortis nostris coli possunt ac jam coli incipiunt. Per hortos Medicos variæ etiam herbæ , quibus filii Æsculapii utuntur , Patriæ reddi possunt , quæ olim ab exteris petendæ erant.

De *Sylvarum* utilitate earumque culturæ necessitate nolumus quidquam monere , cum tot tantaque hæc de re edita sunt argumenta , nos , usus & necessitatis earum maximæ , convincentia : sufficiat tamen dixisse , illos utilitatem earum maxime animadvertere , qui ipsis carent. Si vero nos iusta perpenderit lance hanc rem , utilitas ipsarum clarissime patescit ; sunt enim *Sylvæ* illæ ipsæ , unde domos saluberrimas , ligna ad calefaciendum , variam supellectilem & instrumenta Oeconomica atque mechanica , sepimenta , pontes , carbones ad metalla fundenda , pluriusque alia , habemus : hinc divitias ab extraneis nobis comparamus ; nam pix , asseres , trabes & nonnulla

nulla alia ex arboribus desumpta una cum metallis, sunt præcipui soli nostri proventus, qui ad externos exportati, innumeras fere extraneorum merces, quibus egemus, vel egere volumus, solvunt, saltem solvere debent. Arborum debita cultura sylvæ thesauri inexhausti fieri possunt, civitati plus lucri adferentes quam fodinæ metallorum abundantes. Providam hic miramur Summi Numinis cûram, qui arbores quasdam utilissimas jussit occupare solum aridissimum & maxime sterile; exempli loco sunt Pini nostræ.

Ex *Piscatura* magnam utilitatem ad regionem adfluerre, neminem ignorare arbitror. ut prolixitatem effugiam, adferam, quod nobiliss. Nobilissimus Angliæ Consiliarius Com. Ellving de florentissima Bavorum *Piscatura* scriptum reliquit: Det tyckes ei wara otienligt at låta werlden förnimma / hwad otroliga rikedomar / som blifwa samlade / och hwad förmoner handeln tillskyndas igenom desse fiskerijer / hwaras Holländarenas förträffeliga magt och rikedomar äro ett tillfyllest giörande exempel, hwilkas wälde och höghet har blifwit grundad uppå wåra sidars botu / hwarifrån de updragit större skatter än grufworne af Potoli eller bågge Jndierne tillskynda Spanien: & in alio loco ejusdem tractationis: Hwem skulle tro at detta folket (Hollandi puta:) samla årligen med Sill- och Lårsk-fiskerierne 2. millioner Sterling: och at Holland och Zeeland, hwilkas omkrets ei öfswergår ett Engelskt County (eller ett litet Swåniskt Landshöfdingedömine) skulle ifrån några så förakteliga båtar blifwa mäktige at utrusta 20000. stälta Sliopp och Fahr-

Fabrtyg af alla slag / beqvåme och brukelige uti alla
 Sidar / af hvilka öfwer 7000. årligen brukas til
 Sillfiskerierne (*)? Hinc non mirum, si Batavi pi-
 scaturas suas, nomine aurifodinarum suarum honora-
 vere. Civitati piscatura rite instituta magnam co-
 piam obsoniorum præbet; seminarium est optimum
 nautarum expertorum: incrementa rei rusticæ, Me-
 tallurgicæ, Fabricarum ac Commerciorum multis
 modis promovet: multum nummorum & divitia-
 rum ad regionem vindicat: ad augmentum incola-
 rum plurimum denique confert.

§. IV.

BReviter sic demonstrata utilitate, quam ex agri-
 cultura, ejusque partibus Regio habet, nostrum
 jam erit pauca de utilitate *rei Metallurgicæ* monere.
 Misera esset mortalium vita, si maxima parte eorum
 careret, quæ regnum minerale producit. Corpora
 in hoc regno occurrentia ad tot res adhibentur, ut
 enumerari nequeant. Ex his instrumenta varia & infi-
 nita conficiuntur. Ex hoc nummi, nervi illi rerum
 gerendarum, desumuntur; vix aliquid vitæ genus ex-
 cogitari potest, quod variis corporibus ad regnum
 hoc pertinentibus non egeat. Hinc videmus, quantæ
 divitiæ in iis regionibus cumulantur, quæ pluribus
 fodinis abundant. Hispanos ab India occidentali quot-
 annis immensam copiam auri atque argenti obtinuis-
 se, unicuique notum est; quod vero non sint divi-
 tiarum

(**) Nordencranz *arcana Oecon*: Tom: 1. p. 282.

riarum maximarum possessores, neglectui Fabricarum adtribuendum est; in Oeconomicis enim, quantum possibile est, unum faciendum, neque alterum omit- tendam. Civitatem ex unico tantum genere metalli maximarum opum participem factam, non raro vi- demus. Sic in patria ferro solo maxima pars mer- cium earum, quæ ab exteris ad nos invehuntur, sol- vitur: quis autem crederet hocce Conditoris donum jam & 200, 000 incolis nostris in officinis hujus su- dantibus, 33. tonnas auri & quod excurrit, singulis annis regno addere. Sic Anglos stannum ac Lithanthraces, Chineses fragilia vasa figulina s: murrhina immen- sum quantum divitiis augent. Nec minima utilitas censenda, quod multa millia hominum, huic operam dando, variis modis panem lucrentur.

§. V.

Promissum sequi volentibus tractandi modum, se- se jam offerunt *Opificia & res Manuaria*: Sed cum utilitas horum a tam multis jam antea exposita sit, ob angustiam temporis nonnulla tantum hic dicen- da sunt. Artificia a quibusdam ponderibus in horolo- gio cæteris rebus motum ac vitam addentibus, meri- to assimilantur. Ope horum proventus naturales cu- juscunque Regionis multis modis perpoliuntur, uti- lissimi redduntur & nobilitantur. Experientia con- stat libram ferri manu artificis dexterrimi ita elabora- tam fuisse, ut pretio fere ipsum aurum æquaret. Quanta sit differentia pretii lanæ rudis pannique sub- tilis ex ea elaborati, omnibus notum est; hinc Fa-

bricæ ac res manuariæ innumeris incolis in his laborantibus victum & amictum præbent; nulli hic conspiciuntur mendici: quid? quod infantes 5. aut 6. annorum, decrepitique & aliis membris sæpe mutilati, in fabricis operam dantes, variis modis necessaria ad vitam sustinendam sibi prospicere possunt; eoque cives aut cætera membra minime aggravantes. Rei rusticæ, metallurgicæ atque Commerciis novum robur, nova vita & incrementa maxima hisce adferuntur. Multæ tonnæ auri, quæ alias ad exteros evolarent, per hæc quotannis in patria retinentur, novæque adquiruntur. Varias regiones, natura steriles, auxilio Fabricarum & opificiorum ad immensas opes pervenisse, historia temporum omnium loquitur: exempli loco sint nobis Angli ac Batavi: apud hos, licet frustra fodinas quasdam nobilioris metalli quæreret, auri tamen atque argenti fere omnia plena sunt. Hispanorum & Lusitanorum in utraque India collectæ divitiæ vix oras Europæ salutant, priusquam vel ad Anglos vel Batavos ipsis transmigrandum est. Breviter: Regio Fabricis & rebus manuariis abundans, & opum & incolarum maxime referta est.

§. VI.

PRæmissa sic qualicunque enumeratione utilitatum, quas regno, Rei rusticæ, metallurgiæ, opificiorum & artium manuarium debita cultura, adfert: sequitur, ut quartam Oeconomix partem, quoad suas
 uti.

utilitates, breviter perstringamus, quæ *Commercium* audit. Est & permanebit veritas nunquam in dubium vocanda, quod commercia bene instituta optimis felicitatis regni promovendæ mediis, annumerari debeant: Multiplici comprobatum est experientia, nullam certiozem ad divitias & potentiam patere viam, quam per commercia: hæc merces domi fabricatas ad externos evehunt, multum pecuniarum regno singulis annis comparant: sine his agricultura, res metallurgica atque opificia frigent; mater commercium est divitiarum summarum: Immenfam hæc civium multitudinem pace belloque utilissimam regioni addunt. Tyrum, urbem angustis admodum limitibus circumscriptam, commerciis opulentissimam atque potentissimam factam, Historia certiores nos facit. Nostro tempore de Batavis, quorum terra, mari profundior, nihil fere, nisi exiguam copiam Lupuli, Rubiæ tinctoriæ, caseorum atque butyri, producit, quæ nullas arbores, nisi diligentia humana plantatas, nullum lapidem, nisi eo portatum, nulla denique fossilia, præter turfam & argillam habet, quorumque agri, octavæ parti incolarum alendæ, vix sufficiunt, idem dicendum est. Verum itaque erit, quæ de Commerciis habet *Barre de Beaumarchais* in *amusemens litteraires* T. II. pag. 146. *Le negoce est le moyen le plus propre pour rendre un état florissant & formidable. Qu' un contrée porte les meilleurs fruits, qu' elle abonde en toute sorte de minéraux & vegetaux, qu' elle fournisse la plus belle laine & la meilleur soye, qu' elle ait des Fabriques*

& des Manufactures, qu' est ce que tout cela, s' il
 n' y' a point de mobile, qui donne de mouvement a
 tout, & qui en distribue a chaque individu, selon, le
 besoin qu' il en a. Cette distribution ne sauroit se
 faire sans le commerce. Quantum momentum ad fe-
 licitatem ac securitatem Reipublicæ conferant com-
 mercia, innuunt satis verba, in dissertatione de uti-
 litate *Commerciorum* sub moder. D. Prof. BRING.
 1751. habita, pag 9. Intueamur gentes, in quibus ve-
 terno liberata mercatura ferventem suum & lucro-
 sum impetum per omnes publicæ rei partes dissemina-
 vit, & videbimus, nunquam certiora contra hostes hu-
 manam diligentiam detexisse præsidia, quam per com-
 mercia: & munitantia infestorum militum tela poten-
 tissimorumque Regum exitiales gladios non raro con-
 tra imbellem, ut videtur, mercatorum societatem hebe-
 scere.

Ex his breviter adductis, patescit Oeconomiam
 maximam omnibus prætare utilitatem; hinc neque
 superiores in quocunque regno quidquam intermise-
 re, quod ad illam promovendam pertineret. Præ-
 terquam quod nonnulli exemplis propriis cives ad
 colendam illam excitavere, ubique nobis occurrunt
 saluberrimæ constitutiones, quæ omnes ad œcono-
 miæ florem in quacunque republica, spectant: Sic
 de orphanotrophiis, ptochotrophiis atque nosocomiis
 erigendis: de navigatione per flumina ac lacus pa-
 triæ instituenda: de horreis, ubi frumenta in anno-
 næ caritatem conservantur, ædificandis: de incre-
 mento incolarum, quovis licito modo promovendo,
 atque

atque de plurimis aliis ejuscemodi rebus veri Patres Patriæ semper solliciti fuere. Quæ omnia, quantum ad salutem atque felicitatem publicam conducunt, vel me tacente, quisque videt.

§. VII.

Convicti utilitatis maximæ, quam Respublicæ ex bene fundata Oeconomia capiunt, ad cæteras tractationis partes progredimur, quem & quantum usum *Bella* præstent Reipublicæ, inquiri. *Bella* sæpe pernecessaria esse, maximamque utilitatem interdum adferre, haud negamus, de quibus etiam §. sequenti fusius acturi sumus; at tamen multa in his utilitatis speciem præ se ferunt, quæ, larva detracta, rem penitus examinans, minime revera talia deprehendit. Qui pro utilitate belli militant, quique bella inter præcipua media civitatem ditantia referenda esse judicant, ad varia exempla in historiis occurrentia provocant: præsertim famosissimos aggressores ac victores gentium in scenam producunt. Alexandrum M. per exiguam primum regionis possessorem, per bella brevi tempore totius fere Asiæ Dominum factum dicunt. Romanos a parvis admodum initium facientes, felicibus armis, Oeconomia fere omni sprete, maximam partem orbis subegisse, fundamenta imperii vastissimi immensarumque opum & summæ potentiæ jecisse, gentium domitores & arbitros factos, quis ignorat. Hispani bello ditissimorum regnorum Americæ participes

C

facti

facti sunt. Respublicæ Africanæ hodiernæ, raptò vivere adſvetæ, haud parvas divitias congerunt. Contendunt per bella non tantum Civium multitudinem augeri, ſed etiam ſolum Patriæ, finesque Regni extendi. In terra hac ſub poteſtatem re-
 daſta reperiri poſſunt ejuſcemodi dona a Conditore depoſita, quæ non poſſent non inter Regni divitias potiffimas ac maximas numerari. Regni ærarium augetur, quando occupatæ hujus terræ incolæ, ad tributa victori ſolvenda coguntur, quibus omnibus ſumtus in bella erogati damnaque abunde compensantur.

Hæc quidem omnia primo intuitu ſatis ſufficientia videntur eſſe media, per quæ felicitas reipublicæ obtineri queat: tamen, rem cum omni ſua latitudine accuratori oculo perpendenti, pateſcit, ſocietatem quandam hiſce omnibus vel nullam vel non ſemper tutam, verum ſæpiſſime incertam, conſequi felicitatem: quod evidens erit, ſi ad ſequentia adtendatur.

§. VIII.

Actjones ſuas liberas omnes homines tam in ſocietatibus majoribus quam minoribus ad normam Legis naturalis dirigere tenentur. Sed ſecundum legem naturalem alteri pro lubitu bellum inferre minime licet: verum juſtum erit bellum, juſtæque ac ſufficientes erunt cauſſæ, quibus impuſus quis arma capit; & juſti modi, quibus bellum ipſum adminiſtratur; ad illud igitur non prope-
 ran-

randum, nisi tantum casu necessitatis, ubi damnum ab hoste factum vel necessario inferendum aliter evitari non potest, & postquam omnia alia media ac reconciliationes ad litem amice componendam frustra tentata sunt. Nec bellum ulterius ducendum, quam lædens aut alteri pro damno illato satisfaciat & amice in futurum vivere desideret, aut in eum statum redigatur, ut amplius nocere non queat. Sine justissima causa aliis sua eripere foedissimum latrocinium est; jure etiam optimo in Principem absque justa causa aliena invadentem verba Legatorum Scytharum ad Alexandrum missorum quadrant: *At Tu, qui Te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es.* (*)

Pedem ulterius promoventes videbimus in bellis tam justis quam injustis non solum plurima incommoda, verum etiam catenam quasi maximorum damnorum, tam lædentibus, quam læsis sese offerre. Ostendimus in antecedentibus bene institutam Oeconomiam felicitatem reipublicæ maxime promovere: praxin vero pretiosissimi hujus studii bella non solum impediunt, verum etiam faciunt, ut sæpe profus negligatur. Bellona sæviante agricola ab aratro, faber ab incude, artifex ab officina, nauta a navibus mercatoriis, divelluntur: tum vomer, falx, ac securis in gladios, vasa in arma, utensilia in pecuniam vertuntur. Nob. Dn. NORDENCRANTS, divitiarum, quas

C2

Bata-

(*) vide Curt. lib. VII. Cap. VIII.

Batavi per plures annos ex piscatura Cetorum prope Grœnlandiam acquisiverunt, mentionem faciens, quam remoram lucroso huic vivendi generi bellum fecit, his verbis innuit: Anno 1676. ut sårdated 155; Skiep, som hembragte 670. ^T Hwal: Men Anno 1672 woro de i Krig med Franckrike och Engeland, och sånde derforre inga Skiep til Hwal-fiske; og de behøfde Sidfolcket til Orlogs Flottan hemma. (**)

Fortassis Patria nostra charissima etiam ejusmodi exempla proferre valet: florebat quidem apud nos Oeconomia tempore Regis nostri Clementissimi, beatæ jam memoriæ, *CAROLI XI.* tempestate vero belli per XXI. annos furente, scientia hæc utilissima admodum fuit neglecta: quod cum ita sit, non potest non per bellum regnum in summam redigi paupertatem. Florentissimæ Regionis, elegantissimæ urbes & innumera alia, quæ Oeconomia & industria humana per plures annos & integra secula exstruenda atque ornanda curavit, bello, brevissimo tempore, vastantur atque destruantur. Agriculturæ itaque, rei pecuariæ, artium manuarum opificiorumque neglectu omnis pecunia ad exteros abit, ad ea comparanda, quibus necessario egemus: ærarium sic regni exhauritur, incolarumque opes diminuuntur, quando magna tributa ipsis solvenda injunguntur. Non raro vidimus ipsissimo eodem tempore, quo exercitus alicujus regionis felicia arma perubique circum-

(**) *NORDENCRANTS* arc, *Oecon.* Tom. I. p. 130.

cumtulit, & ubi novellæ publicæ nihil nisi victo-
rias & triumphos loquebantur, cives domi ma-
nentes ob onera gravissima ad bellum feliciter ge-
rendum ipsis imposita, prope ad incitas ac sum-
mam miseriam redactos. Taceo rapinas et innume-
ra incommoda, quæ e paupertate, tanquam e
lerna malorum exoriuntur. Quid? quod Reges
& de patria optime meriti viri, qui sine maximo
amitti nequeunt damno, sæpissime in bello vitam
finire, multi innocentes subditi, opum, fanitatis,
imo sæpissime ipsius vitæ jacturam facere cogun-
tur: uxoribus viri, liberis patres furripiuntur.

Magna pars civium in captivitatem ac servi-
tutem ducta, pecudum sæpe instar venduntur &
calamitatibus variis exponuntur, quibus conjux a
conjuges, liberi a complexu parentum, divelluntur.
Præterquam, quod innumeri milites in bello oc-
cumbant, etiam eo modo incremento incolarum
haud parvus obex ponitur, quod omni prole, quam
a militibus, si domi manerent, singulis annis ha-
beret Respublica, toto belli tempore carere cogatur.
Civium sic multitudo variis & multis modis minuitur.
Hinc celebratissimi gentium victores a multis flagel-
lis Dei irati annumerantur. Memoratu dignissima sunt
verba Regis *GUSTAVI ADOLPHI MAGNI* hac de
re: vid. *Memoires concernant Christine Reine de Suede*
par Archenholz. Tom. I. pag. 13. 14. Scientiæ, pa-
triæ gemmæ optimi pretii, negliguntur, nam in-
ter arma silent Musæ. Securitas, anima generis hu-
mani, periclitatur. Qualis, quæso, esset nostra vita si

nulla securitas? certe miserrima, si hospes non ab hospite, vicinus non a vicino tutus; omnis societas inter homines rumperetur: nullis foederibus fides habenda, si bella, inter media praecipua rempublicam ditantia, ponerentur. Haud raro evenit ut in bello pars soli amittatur, unde maximum sentit respublica damnum. Ex hisce facile patet, utilitates e bello esse incertissimas, damna vero certissima.

§. IX.

PRaeterea etiam alia ratione utilitas belli minoris habenda est: videlicet bellum saepe anceps est, exitusque ejus minime certus; adeo ut, qui sibi quam maxime jam de victoria gratulari posse sese existimarunt, adversam belli fortunam, contra spem experti fuere. Historia, tam sacra, quam profana tot testimonia hujus asserti producit, ut vix regnum dari credam, in cujus annalibus exemplum hujus frustra quaereres. Quam saepe intra paucas horas victoriae fere perpetuae plurium annorum irritae factae sunt atque destructae? victoresque antea tantas ad incitas redacti, ut durissimas pacis condiciones supplices acceperint. Multi aggressores sua sorte non contenti, dum instar canis Aesopi alienum adpetivere proprium & saepe vitam ipsam amiserunt: cupiditas Consulis Crassidum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum, & ipsius capite, multata est, teste *Floro Lib. III. cap. 11.* Quae etiam in bellis adquiruntur haud diu apud victorem saepissime manent, nam male parta,

parta, male dilabuntur: hoc vero non mirum; quippe qui sua deperdit, lubenter, modo, quo id fieri potest, illa recuperare studet, cuique damnum aliquod illatum fuit, hoc reparare conatur: imo evenire potest, ut mala alteri illata, majori cum jactura iterum solvere adigatur victor prior.

§. X.

Multa adhuc dicenda essent circa nobilissimam hancce materiam: verum brevitatis temporis & res angusta domi, nos hac in re prolixiores esse denegant. Ex iis tamen, quæ in antecedentibus breviter a nobis adducta sunt, si quis comparisonem instituire voluerit inter ea, quæ Oeconomia, quæque bellum præstat, judicium ipse facile ferre potest, cuinam horum, in salute Reipublicæ promovenda, primas concedendum: scilicet: quod ad scopum hunc per Oeconomiam longe citius, tutius, certius ac melius perveniatur. Est bene instituta Oeconomia quidem in maximo pretio habenda, si saltem concedamus opes atque divitias plurimum facere ad felicitatem Reipublicæ. Convicti sumus hujus rei exemplis per plurimas variarum gentium, quas hæcce ars in summam felicitatem extulit. Extendit Oeconomia potentiam patriæ, certissimum quoque est, eritque civitatis ditandæ medium, quod per bella vix unquam obtineri potest. Oeconomiam sic primas deferentes, ne inde concludas nos omnem belli armorumque curam exterminare, ac maxime exitioso desidiæ somno ci-
ves

ves sopire velle, rapinæ hostium sic omnia exponentes. Contrarium in antecedentibus ostendimus, in §. VIII. causam bellorum agentes, illaque maximam utilitatem Reipublicæ adferre adstruentes: illos, qui omnem fere militiam, scientiamque militarem abolendam esse cœci clamitant Considerare volumus verba Epaminondæ ad Meneclidem, quæ leguntur apud Cornelium Nepotem Cap. 15: 3, 4.

Felicissimum merito dicere possumus statum, Patriæ nostræ hodiernum, ubi sub Rege Augustissimo ADOLPHO FRIDERICO, atque Regina Clementissima LUDOVICA ULRIGA tam Oeconomix, quam bello, debitus honor justumque pretium tribuitur, & sub quibus Patriæ Parentibus Optimis, Minerva, Ceres ac Mars in jucundissimo & amicissimo consortio una vivunt.

S. D. G.

